



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

hæretico mensibus 10. Post cuius mortem reuersus est. Et constituit, vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret : & rerum gestarum notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per notarios colligeretur, & in Ecclesia à clericis seruaretur. Qui etiam sepultus est, via Aurelia, in cimiterio Calepodii milliario 3. pridie Idus April. Et cessauit Episcopatus diebus 25.

XXXVII.

LIBERIVS, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annis 6. mens. 4. dieb. 8. Hic pro eo, quod noluit consentire hæresi Arrianæ, fuit in exilio annis 3. Cuius consilio FELIX venerabilis presbyter in loco eius ordinatus est Episcopus. Qui inuenit duos presbyteros Ursacium & Valentem, consentientes Constantio Augusto Arriano, & damnauit eos in Cōcilio 48. Episcoporum. Qui Ursacius & Valens post paucos dies zelo ducti, rogauerunt Constantiū, vt de exilio reuocaret Liberium. Qui cōsensit eis, vt vna tantum participatione communionis conueniret cum hæreticis, tantum vt non rebaptizaretur. Post hæc fecit Constantius Concilium cum aliquibus, qui ex fæce Ariana erant, & eiecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & reuocauit Liberium. Depositus verò Felix 4. Kalend. Augusti, habitauit in prædiolo suo, via Portuensi. Ingressus quoq; Liberius in urbem 4. non. Augusti consensit hæreticis, non tamen rebaptizatus. & tenuit basilicas B. Petri & Pauli, & Constantinianam annis 7. Et fuit persecutio magna in vrbe Roma. Omnes itaq; anni Felicis in huius ordinatione dinumerantur. Sepultus tamen est Liberius via Salaria in cimiterio Priscillæ. Et cessauit Episcopatus dies 7.

XXXVIII.

FELIX, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno 1. mens. 3. dieb. 2. Hic declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & rebaptizatum secundò ab Eusebio Episcopo Nicomediensi in villa, quæ appellatur Aquilon. Pro quo facto capite truncatur cum multis clericis & fidelibus occultè iuxta muros vrbis ad latus formæ Traianæ, 3. Idus Nouemb. Et exinde rapuere corpus eius Christiani, cum Damaso presbytero, & sepelierunt in basilica supradicta eius via Aurelia 17. Kalend. Decembr. in pace. Et cessauit Episcopatus dies 38.

R

XXXIX.